



63



h. 374.

SERENISSIMVS RE  
S V E C I A E, &c.

GVSTAVVS ADOLPHVS,  
CATHOLICVS,

id est

Parentatio altera anniversaria, habita  
AVGVSTÆ VINDELICORVM, IN  
BIBLIOTHECA REIP. AMPLISS.

ab

ELIA EHINGERO, AVGV-  
STANO, PROFESSORE ET  
BIBLIOTHECARIO.

24. Aprilis. M DC XXXIV.




AVGVSTÆ VINDELICORVM

excudebat Iohan: Prætorius

ANNO

Capitis Serpentis per Christum contriti

M DC XXXIV.



# GENEROSO ET STRE-


NVO DN. IOHANNI A' PLANSDORF,  
IN BORVVIZ ET ELBERSDORF, IN-  
CLYTO REGNO SVECICO, SERENIS-  
SIMO SAXONIAE ELECTORI, &c. A'  
CONSILIIS, EPISCOPATVS AVGV-  
STANI, DILINGENSIS ADMINI-  
STRATORI, &c.

Domino meo Clementi,

Ob Cives Augustanos, à DEO, per  
Regem servatos

Orationem hanc dicat, consecrat  
ELIAS EHINGER.





RE  
ORF,  
IN-  
NIS-  
c. A  
GV-  
INI-

ORATIO  
DE PIETATE SVECICA, GVSTAVI  
ADOLPHI, Regis Serenissimi,  
Augustæ memorie.

**D**ivinus Plato in Theæteto, Virtutem dixit esse similitudinem cum D E O , auditores omnium ordinum præstantissimi, qui virtutem venerantur , DEVM venerantur & colunt, Virtus enim vel DEI est imago , vel via ad DEVM. Quid enim majus aut potentius, divinitus concessum Virtute, quæ nos ex abiectis & ignobilibus, sublimes reddit ac nobiles, quæ ex ægris & deformibus, sanos speciososque, ex egenis, miseris & servis, divites facit, beatos & Principes? Viro probo nihil malum contingere potest, improbo nihil boni. In improbitate manentibus , omnis fortuna pessima est , in probitate vero omnis fortuna bona. Quid Virtute præclarius ac præstantius, quæ possessorem humi depresso, in cælum vehit , obscurum illustrat , & mortuum excitat, ac immortalitate donat , quæque auctor est, ut ea, quæ sunt digna scribi, agamus, vel ea scribamus, quæ sunt digna legi. Viro probo nullum est majus theatrum conscientia sua. Virtus est oculatissimus amor , amorisque nodus insolubilis , quo nos cum superis, inferis colligamur , & à quibus decet, dissolvimur. Verum perfectumq; hominis ornatum non est corporis concinnitas sed animi Virtus.

A 2

Osi

O si spectari posset virtus, quantum sui amorem in  
 animis hominum excitaret! Hæc enim ingenuo  
 quodam pudoris colore suffusa, vultu quidem gra-  
 tioso serenitatem, incessu gravitatem, moribus ta-  
 men simplicitatem & constantiam præ se fert, & non  
 auro, sed radijs divini boni ornari gaudet. Evidem  
 non invenustæ, quisquis ille fuit, qui virtutem divino  
 satu è vero bonoque conceptam, & in continentiam,  
 tolerantiam, obedientiam, cæterasque præclaras ani-  
 mi ad virtutem dotes, tanquam in embryone forma-  
 tam, ac tandem adultam Virginem depinxit, cujus  
 membra quidem, Caput sapientia, oculi prudentia,  
 lingua fides, pectus religio, Cor amor, Spiritus Chari-  
 tas, collum pietas, manus liberalitas, crura justitia, sa-  
 nitas temperantia, fortitudo robur, pulchritudoque  
 Sanctitas essent: asseclæ autem fidæque Comites, tran-  
 quillitas, modestia, puritas, misericordia, benignitas,  
 spes, lætitia, reverentia, & erga bonos Charitas. Et  
 quisquam tam ferreus, tam duri oris, qui virtutem  
 non amet, non suspiciat, non tanquam sponsam ex-  
 optet ac sibi absque eius contubernio vitam non acer-  
 bam putet? Quanquam verò morales omnes virtutes,  
 quæ per universam Serenissimi & Potentissimi Prin-  
 cipis ac Domini, Domini GVSTAVI ADOLPHI,  
 D. G. Svecorum, Gothorum, & Vandalorum Re-  
 gis, &c. Herois incomparabilis, augustæ memoriae,  
 vitam, ceu minuta sidera illuxere, eius tamen PIE-  
 TAS in DEVM, quâ Virtute maiorem nullam in hu-  
 mano genere inveniri, scripsit Plato, cuius scilicet tan-  
 quam Solis benigno calore & lumine reliquæ Virtu-

tes

no



3

tes reguntur, & quasi animantur, nobis hodierno die  
consideranda.

Nam ut præclarè M. Tullius, haud scio, an pietate erga D E V M ablata, fides & societas humani generis, & una excellentissima Virtus justitia tollatur. Certè si vnumquemque nostrum erga cætera omnia rectè affectum esse, omnino necessarium est, qui erga D E V M Opt. Max. se se convenienter gerit, ut debet, pietatem profectò omnes Virtutes continere, omniumque esse Virtutum fundamentum statuere oportet. Enim verò qui de D E O quidem magnificè sentit, & optimè existimat (quod est pietatis exordium) atq; unum esse Regnatum omnium D E V M, & legislatorem, atque arbitrum & inspectorem operum, cui nihil clausum est, qui que interest animis nostris, & cogitationibus medijs intervenit, nec non judicem acerrimum & yndicem sincerè & constanter credit congruenter huic Metelli Numidi ci Censoris Romani orationi. Dij immortales plurimùm possunt, sed non plus velle debent, quam Parentes: at parentes, si pergent liberi errare, bonis exhæredant, quid ergò nos à Dijs immortalibus diutius expectemus, nisi malis rationibus finem facimus? Ijsdem DEOS propitios esse, æquum est, qui sibi adversarij non sunt: Dij immortales Virtutem approbare, non adhibere debent, eundem porrò D E V M ut maximum veneratur, & justissimum, optimum atque benignissimum, vnaque opulentissimum, quem nulla in dando satietas capiat, cuiusque immensam largitatem & inexhaustam liberalitatem nulla penuria sequatur, amat & colit: in se-

A 3

ipsum



ipsum autem convertens animum, sese ne pili quidem  
 facit, & cæteris inferiorem putat creaturis, inertemq;  
 & impotentem, sed DEI tamen beneficio immortaliti-  
 tatis, & magnæ capacem felicitatis: is profectò (ita  
 me DEVS amet) si sapit pro virili ad Virtutem atque  
 honestatem ceu tutum felicitatis callem, omni stu-  
 dio nititur, DEIQVE nutui & præcepto morigerum  
 sese præstat, totumque tradit, atque res suas omnes  
 in eius bonitate collocat, eundem pura, integra, in-  
 corrupta & mente, & voce venerari semper studet,  
 idemque ex animo & in animo ei preces, laudes &  
 grates (quas potest maximas) perpetuò concipit, de-  
 niique summa claritate, ut benignissimum Parentem  
 complectitur: quin etiam si quæ ipse divinitus ac-  
 cipit infortunia, eorum in se culpam vltò reiicit, aut  
 verò correctionem divinam cum benevolentia &  
 salute sua conjunctam interpretatur, & æquo per-  
 fert animo.

Dij proniores sunt in eos, qui maximè illos co-  
 lunt. Quæ si ita sunt, pietatem profectò in DEVUM re-  
 liquarum Virtutum radicem esse; certè absque pietate  
 virtutis umbram duntaxat, non veram & solidam  
 Virtutem nunquam nos consequi posse, fateri est ne-  
 cessere. Atqui quoniam Reges & Principes, & Rerum-  
 publicarum moderatores illustre quidem, sed am-  
 plum & arduum munus sustinent, ad quod cum lau-  
 defungendum multis Virtutibus, variaque prudentia  
 instruti accedant oportet, omni autem rei DEVUM  
 autorem super ponere par est, monito sapientis poëte:

pietas

pietas sanè Regibus & Principibus in primis, & omnino necessaria est ad dignitatem suam, cum munere tot officiorum devinctam, tuendam.

Quod enim per DEVM immortalem ad universam quandam multitudinem inquietam, discordem, turbidam, leniter redigendam sub coīmune quoddam obedientiæ jugum Religione potentius frenum?

Religione vita constat, omnesque religione moventur & DEOS patios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur. Hæc est namque hominum mentibus insita doctrina, mentem solutam quandam & liberam, segregatam ab omni concretione mortali, omnia sentientem & moventem, ipsamque præditam motu sempiterno, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem, hunc mundum, quantus, quantus est, regere & moderari, & consilijs mentibusque hominum ac gestis præesse.

Est profectò DEVS, qui quæ nos gerimus, audit & videt. Prope est à te DEVS, tecum est: intus est. Ita dico Lucili, sacer intra nos Spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos, & cuius lege immobilis rerum humanarum ordo scriatur, ex quo suspensa sunt omnia, & à quo sunt omnes causæ causarum. condita pergunt Ordine cuncta suo, rerumque à Principe cursu Fixa manent.

Deniq; si pietas est fulcrum & crepido, cui firmiter insistere debeat simulacrum hoc regni, atque religione salva Resp. stat, floretq; neglecta autē & prolapsa, trahit

trahit secum Rempub:, & providentiâ divinâ & nūmine stant florentque & nituntur regna, atque nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiae, non suavi nixæ; efficitur profecto, tum ad tutelam, tum ad salutem publicam, pietatem à rege & principe, & à suis subditis, summa cum cura coli debere. Quamobrem sapienter Diogenes Pythagoricus, tria in legitimo Rege requirebat, scilicet, ut bellidux esset, ut Iudex, ut Sacerdos: Ex quo etiam plerique veterum hæc duo munera coniunxerunt, Sacerdotium & regnum. Hoc pacto Amadeus Sabaudus, factus est Papa Romanus Felix V. dictus 1439.

Quoniam vero pietas non solùm insensu seu cognitione DEI parentis viget, sed in eius, quod DEI est, DEO agnito, retributione, quæ SANCTITAS dicitur, nec non eius, quod DEO redditum est, per assiduam meditationem, juncta que opera cum DEO ipso indissolubili religatione seu religione: primus est Deorum cultus, DEOS credere, deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est: satis DEOS coluit, qui illos imitatus est: videamus, si placet, quanta fuerit in Serenissimo Regno nostro Pietas & rectus de DEO sensus, si quidem prius est DEVVM scire, consequens colere.

I. Principio quoniam religionis fundamentum est fides, (quæ ex auditu) Catholica, & Apostolica; Serenissimus Rex noster hanc sincerè coluit & professus est, L. 1. (desumma Trinitate & fide Cathol. ex Edicto ad populum urbis Constant. Impp. Gratiani, Valentini, & Theodosij: cunctos populos, quos Clementie nostræ

7

nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, S. Brigit. l. 4.  
religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat quam- p. 260. qui-  
que Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum, cunq; fidem  
Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ Sanctitatis: habet Petri,  
hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam, Petrus dici  
Evangelicamque doctrinam Patris & Filij, & Spiritus potest.  
S. unam Deitatem sub pari majestate, & sub pia Tri-  
nitate credamus Hanc legem sequentes Christianorum  
Catholicorum nomen jubemus amplecti.

Hanc legem Imperatores Christiani è Basilio  
MAGNO hauserunt, cuius verba, homilia 5. super Psal.  
28. hæc sunt; Omnis item, qui de divinis pro decoro  
edisserit, sic ut nusquam deerret, qui nunquam exci-  
dat à recta notione, quæ de Patre tenenda est, de divi-  
nitate unigeniti, & de Spiritu S. majestate, sancè hic  
affert Domino gloriam & honorem.

Ille est venus & germanus Catholicus, qui Veri-  
tatem DEI, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit,  
qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil propo-  
nit, non hominis cuiuspiam autoritatem, non amo-  
rem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam,  
sed hæc cuncta despiciens & in fide fixus & sta-  
bilis permanens quicquid universaliter antiquitus Ec-  
clesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solùm sibi  
tuendum credendumque decernit: quicquid vero ab  
aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes  
sanctos, novum & inauditum subinduci senserit, id  
non ad religionem, sed ad tentationem potius intelli-  
git pertinere, testimonio Vincentij Lerinensis de  
præscriptionibus adversus Hæreses.

B

Fides

Fides apud nos, inquit Basilius Magnus epist. 66.  
editionis Antwerp. fol 449. non alia in Seleucia, alia  
Constantinopoli, in Zelis alia, & in Lampsaco alia, &  
alia Romæ. Et quod nunc circumfertur fidei Symbo-  
lum, non est à prioribus diversum, sed unum & idem,  
Sicut enim à Domino accepimus, ita baptizamur;  
sicut baptizamur, ita credimus; quemadmodum cre-  
dimus, ita glorificamus.

## II.

Ex secundo Articulo Augustanæ Confessionis  
Serenissimus Rex credidit, Beatissimam Virginem Ma-  
riam, gratiosam, quæ gratiam apud DĒVM invenit,  
æque in peccato originali conceptam & natam, pe-  
fidem in Christum salvatam fuisse, ac alij Sanctisan-  
ctæque.

Christus apud Nazianz orat. 38. fol. 620. huma-  
na omnia, excepto peccato, suscipit, conceptus qui-  
dem ex Virgine, animo & corpore à Spiritu S. prius  
purgata. Sic cum B. Athanasio Fulgentius de incarna-  
tione & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 6. p. 664.  
Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat hu-  
mana solennitate concepta, caro fuit utique peccati,  
quæ filium DĒI genuit in similitudinem carnis pec-  
cati.

Antoninus part. 3. tit. 24. cap. II §. 3. p. 315. Ipsa  
S. Brigita revelationem, ut afferit, habuit, Virginem  
Mariam conceptam sine originali peccato. B. Catha-  
rina de Senis, non (ut creditur) minoris sanctitatis, &  
a Pio II. fol. 246. acto-  
rum Aeneas Silvij.  
canonizata, habuit revelationem in Contrarium. Et  
cum Spiritus Prophetarum non sit contrarius, quia  
vnum

asbit

ii

vnius & idē est, nec sibi cōtrarius, dicere oportet, quod  
vna earum habuit revelationem à DEO Propheticam,  
altera verò somnium & phantasiam, secundum affe-  
ctum suum. Videatur constitutio Sixti IV. in reve-  
lat. S. Brigitæ lib 6. c. 49. pag 547. pro Dominicanis,  
contra Franciscanos.

S Augustinus de natura & gratia cap. 36. Ex-  
cepta Sancta Virgine Maria, de qua propter DEI ho-  
norem, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, ha-  
beri volo quæstionem. Inde enim cognoscimus,  
quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum  
omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere  
meruit illum, quem constat nullum habuisse pecca-  
tum. Hac igitur Virgine excepta, si illos omnes San-  
ctos & Sanctas, cum hīc viverent, interrogare posse-  
mus, utrūm essent sine peccato, quanta libet fuerint,  
in hoc corpore excellentia Sanctitatis, una voce cla-  
massent: si dixerimus, quoniam peccatum non habe-  
mus, ipsi nos seducimus, & Veritas in nobis non est.

Quo loco multa tradit Augustinus, inquit Io-  
hannes Capetius in tractatu de Indulgentijs, Insulis  
excusus ann: 1595. fol. 128. cap. 20. ad rem præsentem  
pertinentia. In primis approbat distinctionem, quam  
posuimus inter B. Mariam & cæteros Sanctos. Secun-  
dò confiteretur eam subiectam fuisse concupiscentiæ,  
ac proinde conceptam in peccato originali. Nam  
alioqui non eguisset singulari dono gratiæ ad vincen-  
dum omni ex parte peccatum. Vbi enim nulla est pu-  
gna, nulla speranda est victoria. Si igitur omni ex par-  
te vicit peccatum, pugna ipsi fuit adversus peccatum,

fiebatque in ea quod in alijs sanctis, ut Caro concupi-  
siceret aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus car-  
nem.

August. in fine libri de perfectione justitiae. Quis-  
quis, ait, fuisse vel esse hominem, vel aliquos homines  
putat, excepto uno mediatore DEI & hominum, qui-  
bus necessaria non fuerit peccatorum remissio, con-  
trarius est divinæ Scripturæ, vbi Apostolus ait, per  
vnum hominem peccatum intravit in mundum, &  
per peccatum mors, & ita in omnes homines mors  
pertrans ijt, in quo omnes peccaverunt. Et necesse est,  
ut impia contentione afferat esse posse homines, qui  
sine mediatore Christo liberante atque salvante sint  
liberi & salvi a peccato. &c.

Et lib. 2 de peccat. merit, c. 24. & 25. Quod car-  
nis inde (ex Maria) suscepit, aut suscipiendum mun-  
davit, aut suscipiendo. Si in carne Mariæ nihil erat im-  
mundum, nihil erat mundandum Lib. 5. contra Iulia-  
num c. 19. dicit corpus Mariæ per concupiscentiam  
propagatum esse. Et lib. 10. de Genes. ad literam c. 20.  
dicit corpus Mariæ eodem modo secundum semina-  
lem rationem conceptum & exortum, quo cætero-  
rum hominum.

**III.** Ex tertio Articulo statuit Serenissimus Rex cum  
S. Cyrillo Alexandrino dialogo 6. de S. Trinitate: *Sicut*  
*natura est Deus, & ex DEO natus, appropriat sibi hu-*  
*mana: ita & homo factus, honorem & gloriam DEI-*  
*tate dignam, veluti propriam habet.*

Cum S. Bernhardo to. 1. p. 171. Ea nimis hostia,  
sicut sola prodeesse potuit, sic SOLA SVFFICIT;  
nec

nec Christum decuit simul & Petrum, aut Iacobum,  
vel Iohannem pro salute hominum pati.

Cum S. Ephrem. to. i. p. 142. tametsi in terra,  
mil'e annos viveremus, ne pro uno quidem Colapho,  
illi unquam ullo modo, prout deceret, reddere æqui-  
valens, dignasque gratias referre possemus.

Cum Michaële Bajo, qui interfuit Concilio Tri-  
dentino concludente, unam tantum esse satisfactio-  
nem, nempe Christi. Quam sententiam Rutilius Ben-  
zonius de anno Iubilæo fol. 224. ut omnino erroneous  
explosit.

Ex quarto credidit cum S. Chrysostomo serm 7.  
in Genes. p. 924. scribente, sed consideremus, num la-  
bores & recte facta & fructus exhibuit Latro? ne hoc  
quidem dici potest, sed nudo verbo prolatu, SOLA  
FIDE exhibita, in paradisum, ante Apostolos insi-  
lijt, ut intelligas, non eius improbitatem tantum va-  
luisse, verum Domini benignitatem totum negotium  
peregisse. Quid enim Latro dixit? Quid fecit? num  
jejuna vit? num flevit? num se afflixit? num longo tem-  
pore pœnitentiam exhibuit? nequaquam, sed in ipsa  
cruce post sententiam, salutem obtinuit. Vide celeri-  
tatem à cruce in cælum, à supplicio in salutem.

IV.

Cum Brunone Carthusiano in cap. 3 ad Rom.  
p. 24. Colon. 1611. Verè per fidem excluditur gloriatio  
tua: nam FIDES SOLA justificat sine omni opere Le-  
ges. Et huic loco inferit autoritatem dicens: ego &  
justi mecum arbitramur, justificari hominem per  
SOLAM FIDEM, sine operibus Legis. Licet nulla  
præcesserint opera Legis, SOLA tamen FIDES SVF-  
FICIT ad hominis justificationem.

B 3

Cum

Cum Oecumenio in c. 4. Rom. Quid ergo, inquit, nonne habuit Abraham opera? nonne haec illum justificabant? Absit. Opera siquidem habuit, ut si cum hominibus, qui simul cum eo versabantur, in judicio collatus, facile justificatus fuisset, illisque antepositus: Verum ut coram DEO ex suis operibus justificaretur, tanquam dignus & aequalis sese praebens dignitatis cum ea, quae inde petebatur, beneficentia ac dono, nequaquam fuisset illam assecutus. Vnde igitur dignus factus est: Ex sola fide.

VI

Parte secunda Conciliationum locorum communium totius S. Scripturæ Seraphinus Cumiranus Feltensis Minorita fol. 141. Sicut nemo vivit vere, nisi justus & credens: ita nemo justificatur & vivit ex meritis operibus Legis, sed EX SOLA FIDE, quæ per dilectionem operatur. Antwerp. 1558.

V.

In quinto ministerium Ecclesiasticum probavit, cum M. Alano optimo Viro, de pænitentia scribente: His modis informatum Pastorem decet habere utramque clavem Petri, ut dignè possit ligare solutos, & absolvere ligatos, discernere inter lepram & pro eo aspergilem, inter culpam & culpam. Sed heus proh sumptus sacrae dolor, proh summa miseria, legitimæ claves mutantes pecuniam. tæ sunt in clavas, multi que Sacerdotes sunt, qui aperte rienda claudunt, claudenda aperiunt. Isti non sunt janitores poli, sed soli, non janitores superni, sed interni. Isti sunt fures, qui admittunt malos, & portant peccati. tæ inferi prævalebunt adversus eos. Isti mutant claves in clavas, & non à clave dicuntur clavigeri, quia

CMB

E 3



quia dum clave ligandi & solvendi, indiscretē ligant  
& solvunt, quasi clava percutiunt.

Quantum thesaurum Pontifex Romanus pro Romæ 1512.  
redemptione peccatorum consecutus fuerit, Taxæ per Marcellū  
sacræ pœnitentiariæ Apostolicæ testantur.

Absolutio pro Presbytero, qui coniuctos in  
gradu prohibito matrimonialiter copulavit, & coram  
eis celebravit g. 7.

Absolutio pro illo, qui in Ecclesia cognovit mu-  
lierem, & alia multa commisit, g. 6.

Absolutio pro eo, qui matrem, sororem, aut  
aliam confanguineam vel affinem suam, aut comma-  
trem carnaliter cognovit. g. 5.

Absolutio pro illo, qui revelavit confessionem  
alterius. g. 7.

Absolutio pro illo, qui falsificavit literas Apo-  
stolicas. g. 17. vel 18.

Absolutio pro Laico præsente, qui Abbatem  
vel alium Presbyterum, minorem Episcopo, mo-  
nachum vel Clericum interfecit, taxatue. g. 7. 8.  
vel 9.

Absolutio & dispensatio super homicidio Lai-  
cali pro Presbytero, Decano aut Clerico: quando  
signatur supplicatio per Fiat de speciali, vel de spe-  
ciali ad cautelam, vel per fiat, sive sit præsens,  
sive absens, si signetur sine conditione. g. 18.  
vel 20.

Absol-

quit,  
justi-  
n ho-  
dicio  
situs:  
etur,  
icatis  
o, ne-  
gnus  
  
com-  
ranus  
verè,  
vit ex  
e per  
  
oba-  
scri-  
uabe-  
e so-  
oram  
proh  
auta-  
ape-  
funt  
d in-  
por-  
tant  
geri,  
quia



Absolutio pro illo , qui interfecit Patrem , ma-  
trem , fratrem , sororem , vxorem , aut alium consan-  
guineum , sed Laicum : quia si esset aliquis eorum cle-  
ricus , teneretur interfector visitare Sedem Aposto-  
licam .

## VI.

In sexto consentientem habuit Anselmum , in c.  
4 Rom. p. 25. ita commentantem : Ergò ex fide justifi-  
catus est Abraham , sed si fidem opera non præcesse-  
runt , tamen secuta sunt . Nam qui prius ex fide justi-  
ficatus est , in conspectu DEI , postea & ex operibus est  
justificatus etiam in conspectu hominum . Vnde & Ia-  
cobus Apostolus in Epistola sua , contra eos , qui nolce-  
bant benè operari , sed de sola fide præsumebant , ipsius  
Abrahæ opera commendavit , dicens : vis autem scire ,  
ô homo inanis , quoniam fides sine operibus otiosa est :  
Abraham Pater noster , nōnne ex operibus justifica-  
tus est , offerens Isaacum filium suum super altare . Nec  
est Iacobus in hac sententia contrarius Paulo dicenti :  
quia si Abraham ex operibus justificatus est , habet  
gloriam , sed non apud Patrem , ac per hoc afferenti ,  
quia non ex operibus est justificatus . Vterque enim  
verum dicit , Paulus quippe commendans justitiam ,  
quæ ex fide est , adversus eos , qui fidem negligentes ,  
gloriabantur de justitia , quæ est ex operibus , dixit  
Abraham , non esse justificatum ex operibus , sed quæ  
fidem præcederent . Iacobus autem , ut dictum est ,  
adversus illos , qui percepta fide , torpebant otio , &  
putabant se per eandem fidem , utpote justificatos ,  
posse salvari , etiam si bona opera non haberent , dixit  
Abraham ex operibus esse justificatum , sed quæ  
fidem

fidem secuta sunt: & manifestum est enim, eum loqui de operibus, quæ fidem subsequuntur, quia Paulus sine præcedentibus operibus dixit, hominem S O L A F I D E posse justificari.

Bellarminus de justificat. l. 4. c. 18. contendit, Opera absq;  
charitate fa-  
cta, compa-  
rantur car-  
bonibus ex-  
tinctis. Bri-  
git. l. 4. c. 81.  
p. 340.  
Paulum loqui de prima justificatione, qua homo ex impiο fit justus: Iacobum de secunda, qua justus, efficitur iustior. Verūm enim verò vocabulum justificationis dupliciter usurpatur in scriptura, propriè, & tropicè vel metonymicè: propriè sumpta justificatio est ea, quæ dicitur remissio peccatorum: Tropica justificatio seu modificata, sumitur pro evidentia, pro declaratione & probatione, qua alijs innotescit, nobis esse remissa peccata; sic Iacobo justificari operibus idem est, ac declarari per bona opera, quòd justificatus. Breviter: S. Iacobus adimit justificationem fidei mortuæ, & assignat eandem operibus, coram mundo: D. Paulus autem, adimit justificationem operibus, & attribuit eandem vivæ fidei, coram D E O.

Vti enim colligere nequeo: qui est humilis, humilietur adhuc: ergò duplex est humilitas, prima & secunda; qui est sapiens, prudens, temperans, fortis, redditor sapientior, prudentior, temperantior, fortior: ergò duplex est sapientia, duplex prudentia, duplex temperantia, duplex fortitudo, prima & secunda, qui est sanatus, sanetur adhuc: ergo duplex est sanitas, prima & secunda: ita neque si dicam, qui est justus, justificetur amplius: ergo duplex est justificatio, prima & secunda.

C

Eccle-

## VII.

Ecclesiam Serenissimus Rex credidit, non tamen  
credidit in Ecclesiam, imitatione S. Augustini Tom.  
10. serm. 131 in expositione symboli: unus enim Do-  
minus, una fides, unum baptismum, unus DEVS Pater  
omnium, id est, una Catholica, electorum omnium  
multitudo, per omnia & mundi loca & tempora secu-  
li diffusa, eidem uni DEO Patri subiecta, teste Vene-  
rabili Beda, tom. 4. in Cant. l. 5. p. 798.

Quod Sanctorum catus, ex recta fide, atq; opti-  
ma vivendi ratione collectus, Ecclesia sit, inter eos con-  
stat, qui sapientiam degustarunt, ex Isidoro Pelusio-  
ta l. 2. epist. 246.

Cum Cyrillo Alexandrino de Adoratione lib. I.  
p. 3. His ornamenti Ecclesia insignis admodum est,  
cum ornatum habeat spiritualem, qui non carnis o-  
culis spectatur, sed intra animum & in corde positus.

Cum VII. Synodo generali fol. 370. editionis  
Romanæ, aspicio & video Ecclesiam, quæ super Pe-  
tram, Christum, DEV M nostrum fundata est.

Cum Brunone Carthusiano, de novis in Ecclesia  
c. 2. p. 52. Totus mundus cælo concluditur, tota Ec-  
clesia Catholica, intra Apostolicæ fidei & doctrinæ  
terminos continetur. Quicunque extra hos terminos  
est, profanus & infidelis est. Vbi est fides, illic est Ec-  
clesia: ubi Ecclesia, ibi sacerdos: ubi sacerdos, ibi  
baptisma: ubi baptisma, ibi Christianus, testimonio  
Chrysostomi in opere imperfecto p. 798. hom. 6. Eccle-  
sia quidem dicitur, propter ea quod evocentur omnes:  
Catholica vero, quod per totum mundum diffusa sit,  
referente S. Athanasio tom. 2. p. 329. quæst. 36.

Cum



Cum Theodoreto lib. 1. Hist. Eccles. c. 4. p. II.  
 confitetur, vnam, solam Catholicam & Apostolicam  
 Ecclesiam, quæ sicut nunquam expugnari potest,  
 etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat: sic  
 omnem impiam hæreticorum incursionem evincit  
 ac profligat, quandoquidem eius Dominus nos efficit  
 satis animosos, dum clamat, confidite, ego vici mun-  
 dum.

De malis ministris pronunciavit Serenissimus VIII.  
 Rex, quod olim S. Nazianzenus orat. 40. fol. 656.

Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atq;  
 ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam  
 habeant ac deinde ceram imprimant: quid tandem  
 hoc signum ab illo signo differet? Nihil. Materiam  
 in cera internoscet, quamlibet singulari solertia sis: dic  
 utrum è duobus signis aureo annulo, utrum ferreo ex-  
 pressum sit, quoque modo vnum idemque signum  
 existat: Discrimen enim in materia est, non in signo.  
 Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere fun-  
 guntr, idonei habeantur. Quamvis enim aliis alium  
 vitæ probitate antecellat, eadē tamen baptismi vis est.

Et S. August. tom. 7. lib. 3. contra Cresconium  
 c. II. p. 250. Sacramentum non fit melius, cum per  
 meliorem datur, nec deterius, per deteriorem.

Idem de Baptismo l. 4. c. 10. contra Donatistas p.  
 423 de baptismo non esse cogitandum quis det, sed  
 quid det, aut quis accipiat, sed quid accipiat, aut quis  
 habeat, sed quid habeat.

Neque tamen Sacerdos est creator creatoris sui,  
 quod credunt Romanenses cum Gabriele Biel, lectio-

ne 4. in expositione Missæ. Venet. 1576. pag. 21. cum Discipulo de Tempore serm. 3. Sacerdos est altior regibus, felicior Angelis, creator sui creatoris.

X.

.IIIV.

XI

Marquardus  
Leo, Mino-  
rita, in cate-  
chismo pag.  
58. vocat  
Vationem Sa-  
cramenta-  
lem falsam  
& fictam.

Decimi Articuli Veritatem cum Concilio Ephesino credidit in declaratione anathematismi XI. pag. 511. Sanctum & vivificum incruentumq; in Ecclesijs sacrificium peragimus: corpus, quod proponitur, similiter & pretiosum sanguinem, non communis, nobisque similis hominis cuiuspiam esse credentes, sed potius tanquam proprium corpus effectum, & sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat accipientes.

Cum S. Brigita l. 7. c. 10 p. 636. Christiani habent iam ipsam Veritatem sc: Christum verum D E V M & hominem, IN illo pane benedicto & consecrato.

Cum Leone M. serm. 7. de jejunio septimi mensis p. 204. b. sic mensæ sacræ communicare debetis, ut nihil prorsus de Veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. HOC ENIM ORE SVMITVR, QVOD FIDE CREDITVR, & frustra ab illis Amen respondeatur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur.

Cum Theodoreto, Dial 1. p. 18. Qui naturale corpus & panem appellavit, & rursum seipsum vitem dixit, is visibilia symbola, corporis & sanguinis applicatione honoravit, NON NATVRAM MVTANS, sed gratiam adijciens.

Cum B. Irenæo l. 4. fol. 363. Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens invocationem DEI, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & cor-

pora

pora nostra, percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Cum Ruperto, Abbe Tuitiensi, in Exod. I. 2. c. 10. p. 125. Et ipse per eundem Spiritum S. ut Apostolus ait, obtulit semetipsum hostiam vivam, DEO viventi eodem igne assatur in altari. Operatione namque Spiritus S. panis, corpus, vinum fit sanguis Christi, sed istud non capit humana sapientia. Repellitur ergo illo non tam sapientia, quam curiositas, dum repetendo dicit: non comedetis ex eo crudum quid, nec coquum aqua, sed tantum assum igni. Crudum namque comedere, nihil aliud est, nisi quod videtur, estimare, & coquum aqua comedere est, quomodo sit, velle carnaliter dijudicare: sed comedetis, inquit, assum tantum igni, id totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cuius effectus non est destruere vel corrumperre substantiam, quoniamcumque suos in usus assumit, sed substantiae bono permanenti, quod erat, invisibiliter adiucere, quod non erat: sicut naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero Virginis DEV S verbo in unitatem personae coniunxit: sic substantiam panis & vini secundum exteriorem speciem s. sensibus subiectam, non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem Corporis eiusdem, quod in cruce pependit, & sanguis eiusdem, quem de latere suo fudit, ista coniunxit. Item quomodo Verbum a summo demissum, Caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis & vinum utrumque ab imo sublevatum, fit Corpus Christi & sanguis, non mutatum in carnis saporem sive in

C 3

sangu-

S. Brigit a l. i.  
c. 47. quod  
prius fuit pa-  
nis, fit statim  
corpus Chri-  
sti, in rigore  
formaliter  
haec proposi-  
tio non est  
vera, substâ-  
tia panis, fit  
corpus Chri-  
sti p. 77.  
Consalvus  
Durantus ad  
hunc locum.

sanguinis horrorem , sed assumendo invisibiliter  
utriusque, divinæ scilicet & humanæ, quæ est in Christo , immortalis substantiæ Veritatem. Hic est ille Rupertus, Abbas Tuitiensis, qui à B. Maria docile ingenium impetravit , & divinorum intelligentiam , ut refert magnum speculum exemplorum , fol. 563. & Antonius Possevinus tomo 3. apparatus sacri , fol. 154.

Iohannes Hofmeister de Missa pag. 179. b. res ipsa, inquit, clamat, apud Veteres, tam in Græca, quam in Latina Ecclesia , non solum Sacerdotem sacrificantem , sed & reliquos presbyteros, Diaconos , nec non reliquam plebem , aut saltem plebis aliquam partem Co[m]unicasse: quod quomodo cessaverit, mirandum est, & ut bonus ille usus in Ecclesiam revocetur, laborandum, imò & à DEO precibus impetrandum est.

## XI.

Confessionem privatam Serenissimus Rex in regno suo tulit monitu Chrysostomi tom. 6. Græcolatione p. 422. Qui homini detegere peccata erubescit, DEO verò cernente facere non erubescit , neque confiteri vult , & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante, traducetur. Confessio enim peccatorum est testimonium conscientiæ, DEVMTimentis.

XII. Ex Articulo XII. S. Ambrosium secutus est, Die Raß 35 tom. 5. p. 311. scribentem, pœnitentia præcedit, sequitur gratia: neque pœnitentia ergo sine gratia , neque gratia sine pœnitentia: debet enim pœnitentia prius nit. S. Brigit.

1.4. c. 140. p. 410, Si aliquam habent voluntatem eundi ad sepulchrum , magis est propter superbiam & cupiditatem pecuniarum, quam propter amorem & honorem DEI,

damnare peccatum, ut gratia possit abolere. Et qui semper pecco, semper debeo habere medicinam, eodem asseverante de sacram. l. 4. c. 6. tom. 4.

In Articulo XIII. habet Claudiu[m] Espencejum, consentientē in præfat. ad Titū pag. 608. Sunt enim divina Sacra[m]enta, sed novæ maximè legis, nō signa tantùm vana, vacua, evanida, & veritatis rerum signata[ri]ū expertia, sed divini verbi velut appendices, divinæ gratiæ sigilla aut signacula, DEI erga nos donorum organa, instrumenta & veluti vehicula eadem quæ significant & figurant, præsenter (ut ita loquar:) habentia & ad ea venientibus offerentia, exhibentia, communicantia. Verbi gratia: Baptismum accipis? Quare? ut corpus lavet? Eādem operâ, aut minori etiam negotio, ad thermas proficisceris aut Sequanam. Ad Baptismum igitur accedis, ut spiritu renoveris, quod hic ait Apostolus, & regenereris. Est ergo Baptismus, sacrum mysterium, spiritualis renovationis & regenerationis, non solùm significatorium, sed etiam exhibitorium, applicatorium, & suo etiam modo, effectorium, idque non quâ aqua, aut quia aqua sit, sed quia Domini DEI verbo, cui annexa est, suo nos renovantis & regenerantis, aqua.

XIII.

De ordine Ecclesiastico Chrysostomi verba usurpavit crebris sermonibus, de verbis Esaiæ hom. 4. p. 874. Sacerdotis est tantum arguere, liberamque præstare admonitionem, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, non arcum tendere, non jacula mittere, sed tantum arguere ac liberam præstare admonitionem.

XIV.

Imò

Imò & Gregorij Magni lib. 7. epist. indit. 1. p. 223. ad Sabinianum Diaconum. De qua re unum est, quod breviter suggestas Serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum, in morte Longobardorum, me miscere voluisse, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia DEVM timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.

Audistis, Petro dictum esse: Tibi dabo Claves: Claves hæ, ait Ioannes Ferus in cap. 16. Matthæi fol. 223. non materiales sunt, sed metaphoricae, potestatem significant. Potestatem igitur accepit Petrus, non terrenam aliquam, ut possit scilicet dare, auferre, alienare, regna, principatus &c. nec talem potestatem, ut sibi licuerit facere, quicquid libuisset, id quod plerique somniant: sed potestatem accepit ligandi ac solvendi, remittendi peccata, & retinendi, aperiendi & claudendi: neque id prolibito suo, sed tanquam minister, voluntatem Domini perficiens. Aliter enim DEVS, aliter Petrus peccata remittit. Remissio peccatorum DEI solius opus est, per Christum nobis impetrata. Hunc autem thesaurum Apostoli distribuunt per verbum Evangelicum, & Sacra menta, verba annexa: qua re fit, ut etiam Apostoli peccata remittere dicantur. Hanc potestatem Petrus accepit, non pro seipso, ut de potestate superbiat, aut lasciviat de dignitate, glorieatur de dispensatione, de spiritualium bonorum administratione, pro temporalibus negotietur, sed totum lucrum ad DEVM reportet, in cuius gloriam refundat,

dat, quicquid habet & operatur. Imò secundum B.  
Brigitam Sacerdotes PERDIDERVNT CLAVEM,  
qua misericordie berent aperire cælum. S. Brigitta l. 4. c.  
132. p. 389.

Romani Pontificis Parasito, Fausto Sabæo Bri-  
xiano Custodi Bibliothecæ Vaticanæ, Romani Ponti-  
fices dominantur in terra, in cælo, in mari, in inferno.  
Lib. i. pag. 145. Romæ an: 1556.

*Quid juvat æternas portas septemplice vallo*

*Arcis inaccessæ jam posuisse Iovem?*

*Excubias vigiles, tot monstra, tot arma, tot ignes*

*Fulminis horrifícis intrepuisse minis.*

Roma tamen nō arma timet, nec mōstra nec ignes,

Sed penetrat vetiti devia & astra poli.

Quodq; magis mirum, Romana Colonia cælum est:

Nunc stygis in barathro jus quoque Roma tener.

Iam bello, nunc pace potens, tellure marijam,

Nunc tellure, mari, cælo, acheronte potest.

[Papa etiam Angelis imperat, teste Roderico, Epi-  
scopo Zamorensi l. 2. c. i. p. 49. speculi vitæ humanæ.]

Papirius Massonus in PAVLO IV. fol. 408.

Iesuini, Ignatiani in eo sanè nimium sapientes, quòd  
se putant cælo vel ipsi quandoque imperaturos.

E' decimo quinto Articulo, Paparum & Mona-  
chorum fraudes & impostura damnavit, de quibus S. Brigitta l. 6.  
Henricus Cornelius Agrippa de vanitate scientiarum c. 96. p. 605.  
cap. 64. de arte Lenonia O. ij. Basil. 1531. de Sixto IV. Venite ad  
scribens: sed & recentioribus temporibus Sixtus Pon- Curiam meā,  
tifex Maximus, Romæ nobile admodum lupanare ex- & exhaustio-  
ris bursas ve-  
truxit. stras, & in-

venietis per-  
ditionē ani-  
marum ve-  
strarum, Lib.  
4. c. 135. p.  
404. Sacer-  
dotes dete-  
riores sunt  
Diabolo.

truxit. Leno fuit Imperator ille Heliogabalus, qui domi duas meretricum cohortes aluit, amicisque & servis exhibuit: jam verò etiam reginarum cæterarumque príncipum & Dominarum nonnunquam id curæ est, atque regum matres nonnunquam filiorum suorum lenæ sunt: neque præterea optimates, Magistratusque id officij abhorrent, quippe lenones olim fuerunt Corinthij Ephesij, Abideni, Cyprij, Babylonijs, & multi alijs magistratus, qui in civitatibus suis lupanaria construunt, foventque, non nihil ex meretricio quæstu etiam ærario suo accumulantes emolumenti, quod quidem in Italia non rarum est, ubi etiam Romana scorta in singulas hebdomadas, Iulium pendunt Pontifici, qui census annuus nonnunquam, viginti millia ducatorum excedit, adeoque Ecclesiæ procerum id munus est, ut unâ cum Ecclesiarum preventibus etiam lenociniorum numerent mercedem. Sic enim ego illos supputantes aliquando audivi: habet, inquietes, ille duo beneficia, unum curatum aureorum viginti, alterum prioratum ducatorum 40. & tres putanas in Burdollo, quæ reddunt singulis hebdomadibus, Iulios 20. Iam verò nihilominus lenones sunt Episcopi illi & officiales, qui censum pro concubinatu à Sacerdotibus quotannis extorquent, idque tam palam, ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa eorum concubinaria exactio, sive lenocinium, quo dicunt, habeat vel non habeat, aureum solvet pro concubina, &, habeat, si velit.

Monachus, Climaco, gradu i. p. 22. est ordo & status Angelicus, in corpore materiato & sordido consummatus. &, Monachus est castificatum corpus, expiatum

piatum os, animusque divino lumine irradiatus. Gra-  
du 4. p. 73. Cœnobium est terrestre cælum. Rein Bar-  
fuser Mönch ist in der Höll. Henric. Sedul. Apolog. l. 2.  
c. 9. p. 110. Omnes salvantur, qui moriuntur in ordine,  
& sub regula B. Francisci. Hinc quidam frater ductus  
ad infernū, nullum fratrem Ordinis nostri ibi invenit.

Nicolaus autem de Clemangijs, de corrupto Ec- S. Brigital. 4.  
clesię statu c. 23. pag. 22. hac de re ita judicat: Quid aliud c. 71. p. 316.  
obsecro sunt hoc tempore puellarum Monasteria, nisi acceptior est  
quædam, non dico DEI sanctuaria, sed veneris exe- mihi coniu-  
cranda prostibula? sed lascivorum & impudicorū ju- gata, humilis  
venū ad libidines explendas receptacula, ut idē hodie & devota,  
sit, puellā velare, quod & publicè ad scortādū exponere. quam Virgo  
superba &  
impudica, &  
qualis meriti  
esse possunt  
coniugata &  
Virgo,

Petus Cluniacensis lib. 2. epist. 2. p. 716. Venerabili  
Dn. Petro S. Lugdunensis Ecclesiæ Archipræsuli: nōne  
det alibus Hieremias lamentari cogitur & dicere: nōne  
obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, di-  
splosi sunt lapides sanctuarij, & in capite omnium pla-  
tearū. Et: filij Sion incliti & amicti auro primo: quan-  
do reputati sunt in vasa teste, opus manuū figuli? Hoc  
plane ferè de universis provinciæ tibi à DEO coñissæ  
Monachis ac Monasterijs loquor, qui ut salva gratia bo-  
norū, qui inter eos comorantur, dixerim, se dicūt Mo-  
nachos esse, & nō sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. Quid  
enim illi sibi de Monacho præter nomē & habitū vendi-  
cant? Vbi enim in eis vel est, vel apparet Monachi humi-  
ditas? ubi charitas? ubi illa, quæ beatos facit paupertas.

Franciscus Spinula lib. 3. epigram. p. 85. in sensum Venetijs  
contrarium recurrens. 1563.

Progenies bona sunt Monachi non, noxia curant  
Turpia devitant non male conveniunt.

D 2

Anno

**Vt** figulus. **Anno 1505.** edita est Venetijs, Antiminorica,  
 figulum, sic contra Ioannem Perinum, Doctorem Parisiensem.  
**Monachus** Franciscanum, à Reverendo S. Thelogiæ Doctore  
**Monachum.** Clarissimo M. Petro de Cruce Hispano Portugallico,  
 pag. 31. scribente: ad regulæ enim Francisci observantia  
 strictissimam requiritur ardens focus Spiritus S. ex  
 quo proveniret 10 præceptorum Decalogi observan-  
 tia, septem capitalium peccatorum, cum suis ramis  
 declinatio, 14 operum misericordiæ adimpletio,  
 quinque sensuum exteriorum refrænatio, & quinque  
 interiorum in bonis applicatio, appetitus sensitivi re-  
 bellionis sedatio, atque rationi obeditio, trium voto-  
 rum regulæ mentalis, cum exhibitione operis, non  
 verbalis observantia &c. sed observantiæ eorum signa  
 efficacia non sunt tunica vilis, chorda grossa, zoculi  
 sive soleæ pedum &c. verūm ardens D E I & proximi  
 charitas, quæ non querit quæ sua sunt, sed quæ Iesu  
 Christi, cuiusmodi sunt, non detrahere de prælatis  
 Ordinis, & suis fratribus, nec eos in desperationem  
 mittere, de suis locis expellendo, locaque illa subin-  
 trando. Contraria verò si in vobis experientia cogno-  
 scuntur, minimè in charitate D E I esse censebimini:  
 & per consequens non de stricta observantia, & sic  
 non distincti ab alijs per verum nomen observantiæ,  
 nec per mortuos suscitare, nec cæcos illuminare, fe-  
 bresque curare &c. sed tantum per apparentem justi-  
 tiam, & hominem exteriorem honestum, quod etiam  
 malis cōvenire potest, quod quanto sit deterius publi-  
 canis, patet Hieronymi sententia, cum dicit, simulata  
 sanctitas, duplex est iniquitas.

Pag.

ORNA



Pag. 35. Patres vestri à Vera obedientia Prælato-  
rum Ordinis discesserunt.

Pag. 36. ita Perinus argumentur, sancti justi, inno-  
centes & de stricta observantia, non debent subef-  
fe, nec obedire Prælatis peccatoribus notorijs. Sed mi-  
nistri religionis sunt notorij peccatores; nos autem  
innocentes: igitur.

Pag. 39. imò in Insulis da Madera sub rege Portu-  
galliæ nostris diebus XIII. de vestra secta, peccato su-  
perstitionis graviter peccaverunt, quando caput 12.  
illorum, finxit se Christum, & post suam mortem re-  
fuscatandum.

Pag. 49. b. Hæc regula Francisci est inobservabi-  
lis. Hæc regula Francisci est à DEO inspirata, à Fran-  
cisco impetrata, & à Papa confirmata. Igitur DEVS,  
Franciscus & Papa voluerunt artare fratres ad regu-  
lam, quæ aliquando foret impossibilis observari &c.  
& tamen consequens falsum.

Anno 1250. Guilielmus de S. Amore scripto  
libro persuadere conatus est hominem non posse sal-  
vari in ordine mendicantium Monachorum.

B. Franciscus surgens de oratione, venit ad fra-  
tresturbatissimus, dicens: Ego vellem, quod istum  
habitum non invenissem. Dominus enim mihi re-  
velavit, quod de Ordine meo exibit Antichristus, &  
secta eius.

Christus in revelationibus S. Brigitæ l. 4. c. 133.  
pag. 401. ita loquitur: Si voluissem, potuissem bene  
elegisse Angelum aliquem ad tale officium, sed tan-  
tum dilexi Sacerdotes, ut eis tantum honorem con-

Antichristus  
erit Mona-  
chus Franci-  
scanus. Ergò  
non Iudeus.  
Quo ariete  
tota fabula  
de Antichri-  
sto Iudaico,  
& vtopico  
prosternitur.

D 3 cede-

cederem, & constitui eos, ut starent ante me, quasi in septem ordinibus: deberent enim esse patientes quasi oves, stabiles quasi murus boni fundamenti: animosi, quasi milites, sapientes quasi serpentes, pudici quasi virgo, mundi quasi Angelus, ardentes amore, quasi sponsa & cubile viri sui. Nunc autem averterunt se pessime: sunt enim feri, quasi lupi rapaces, qui in fame & cupiditate sua nulli cedunt, nulli deferunt honorem, nulli erubescunt. Secundò instabiles, quasi lapis in muro infirmo, quia diffidunt de Fundamento, id est, de DEO, quod non possit eis dare necessaria, vel non velit sustentare eos. Tertiò sunt in tenebris quasi fures, ambulantes in tenebris vitiorum, nec sunt audaces quasi milites ad pugnandum pro honore DEI, vel ad aggrediendum opus virile. Quartò stant quasi asinus, qui caput inclinat ad terram: sic ipsi stolidi & insipientes, semper terrena meditantur, & presentia, nunquam futura. Quintò impudici sunt, quasi meretrices, procedunt ad me in habitu meretricio, omnia membra habent ad luxuriandum. Sextò sunt quasi pice deformiter maculati, omnes qui accedunt ad eos, deturpantur. Septimò sunt abominabiles, quasi vomitus, & levius & melius esset mihi accedere ad vomitum, quam ad delectationem habendam cum eis; ita autem abominabiles sunt, ut omnis exercitus cæli abominetur eos.

Lib. i. cap. 47. p. 76. Sacerdotes sunt proditores mei.

S. Brigit. l. 6. c. 109. p. 611. DEO est acceptius, in mundo justè vivere & laborare manibus, quam in Extremo vel religione stare, sine DEI charitate.

Ex

Ex Articulo XVI. statuit Serenissimus, Reges & Imperatores à DEO constitui, non à Diabolo, uti quondam contendit Gregorius VII. lib. 8. epist. 21. fol. 1262. tom. tertij Conciliorum parte alterâ ad Hermetensem Episcopum Metensem. Quis nesciat, inquit, Reges & Duces, ab ijs habuisse principium, qui DEVUM ignorantes, superbiâ, rapinis, perfidiâ, homicidijs, postremò universis penè sceleribus mundi principe, Diabolo videlicet agitante, super pares scilicet homines dominari, cæcâ cupiditate & intolera- bili præsumptione affectaverunt?

XVI.

Romanus Pontifex, ait Liber Ceremoniarum I. 3. c. 1. p. 120. nemini omnino mortalium reverentiam facit, assurgendo manifeste, aut caput inclinando, seu detegendo.

Quanquam verò Serenissimus Rex XVII. Articulum firmiter credidit, tamen Reginæ Sveciæ S. Brigittæ, Canonizatæ à Bonifacio IX. à Martino V. & in Concilio Basileensi à Gregorio XI. ab Urbano VI. non contradixit, quæ ipsa ante consummationem mundi, de Romanæ Ecclesiæ statu prædixit.

XVII.

Adam Tanner tom. 2. p. 749.

Revelat. lib. 4. c. 5. fol. 238. insuper dico tibi, quod Civitas ista Roma, civitas erat pugilum, cuius plateæ stratæ auro & argento, nunc autem lapides eius Saphyri versi sunt in lutum, habitatores eius paucissimi, quorum oculus dexter erutus est, dextra manus abscissa, bufonesque & viperæ habitant cum eis &c.

Lib. 4. c. 10. p. 249. Verè habitatores Romæ hæc omnia mihi faciunt, & certissimè verbis & operibus hæc ostendunt. Verba & opera mea (Christi) pro nihilo reputantes, mihiq; & matri meæ & sanctis meis in joco &

serio

Ex



serio, in l<sup>a</sup>etitia & ira maledicentes, & contumelias pro gratiatum actionibus efferentes, illi quidem non vivunt juxta consuetudinem Christianorum, sicut sancta Ecclesia præcipit, quia majorem charitatem non habent ad me, quam Dæmones, qui magis miserias suas sustinere volunt, quam me videre, mihique in perenni gloria adhærere.

ibid. Lib. 4. c. 33. pag. 271. Inter alias collationes intimetur Domino Papæ, quam flebilis est status urbis, quæ quondam felix extitit & corporaliter & spiritualliter, sed nunc infelix est & corporaliter & spiritualiter. Corporaliter quidem, quia eius seculares Principes, qui eius defensores esse deberent, facti sunt ei saevissimi raptores. Et ideò domus eius destructæ sunt, & multæ Ecclesiæ penitus desolatæ. In quibus ossa benedicta Sanctorum continentur, quæ gloriosis miraculis coruscant, quorum animæ in rego DEI sublimiter coronantur. Templa etiam ipsorum tectis destrutis, & clausuris ablatis, in latrinas mutata sunt hominis canum, & bestiarum. Spiritualiter vero infelix est urbs ista, quia multæ constitutiones, quas Sancti Papæ ex infusione Spiritus S. ad DEI laudem & animarum salutem in Ecclesia statuerunt, jam deletæ sunt. Pro quibus proh dolor, multæ novæ abusiones, ex maligni Spiritus infusione, ad DEI irreverentiam & animarum perditionem sunt assumtæ.

Pag. 273. Igitur Domine, non miremini, si nominiavi Romam urbem infelicem pro talibus abusionibus & multis alijs Ecclesiasticis statutis graviter contrarijs. Quare timendum est, CATHOLICAM FI-

DEM

CLIX



DEM IN BREVI DEPERIRE, nisi talis venerit, qui Notetur vag  
DEVM super omnia, & proximum suum, sicut sci- ticinium s.  
psum diligit, fide non fidet, omnes abusiones abolen- Brigitæ.  
do. [B. Lutherus Romanam Ecclesiam chasoph chaphah, nudanando nudavit.]

Lib. 4. c. 57. p. 292. Mater loquitur; Roma est quasi  
ager, super quem Zizania excrevit: ideo prius debet  
arari cum jugo boum. Roma debet mundari ferro,  
igni & aratro.

Indulgentias Ecclesiæ Romanae Serenissimus  
Rex nihili fecit, de quibus extat liber Germanicæ ex-  
cufus in ipsa urbe Roma, anno 1500. tempore Alexan-  
dri VI. cuius hæc sunt verba, litera C iij. b. Item der  
H. Bapst Gregorius hat die Kirch (Iohan: Lateran) an-  
der mal geweicht / nach dem als sie verbrennt vnd gebrochen  
ward / von den Arrian vnd Kettern: vnd er gab so vil Tag  
Ablaf zu der Kirchen / als es drey Tag vnd Nacht Tropffen  
regnet / Und es geraw ihn/daz er so tieff in den Schrin der  
Barmherzigkeit gegriffen hat / da erschein ihm der HERX  
IESUS vnd sprach: nicht laß dich gerewen/ Gregori, gib  
mehr/ich erlaub dirs/wann vil Volck's bedarff der Gnaden;  
vnd Gregorius bestettiget allen Ablaf der Kirchen.

Hacce Indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, in  
Compendio privilegiorum Fratrum Minorum, quod  
anno 1532. Venetijs edidit F. Alphonsus de Casarru-  
bios Hispanus, Provinciæ S. Jacobi, & Francisco de  
Angelis, Generali ministro totius Seraphici Ordinis  
Minorum dedicavit, pag. 118. b. ita describit: Item  
Bonifacius dixit: Indulgentiæ Ecclesiæ Lateranensis  
numerari non possunt, nisi à Solo DEO, & ego omnes  
illas confirmo.

E

Idolo-

Idololatriam Agni cerei Pontificalis Serenissimus Rex repudicavit. Sacrarium ceremoniarum lib. I. cap. vlt. fol. 39. editionis Venetæ, excusæ anno 1516. Legimus Vrbanum V. Pont. Max. misisse ad Imperatorem Græcorum tres AGNVS DEI cum versibus infra scriptis.

Balsamus & munda cera cum Christinatis unda  
Conficiunt Agnum: quod munus do tibi magnū  
Fonte velut natum per mystica significatum.  
Fulgura desursum depellit, omne malignum  
Peccatū frangit, VT CHRISTI SANGVIS: & angit,  
Prægnans servatur, simul & partus liberatur.  
Dona defert dignis, Virtutem destruet ignis  
Portatus mundæ de fluctibus eripit undæ.

Multitudinem Missarum in exequijs Serenissimus Rex rejecit. Liber I. ceremoniarum sacrarum cap. 2. pag. 67. referr. mortuo Pontifici, spatio novem dierum, ultra quingentas Missas celebrari: verba hæc sunt: fiunt largè Eleemosynæ pro anima Pontificis, religiosis viris & mulieribus per Camerarium & thesaurarium, & maximè si camera est dives. In prima die exequiarum leguntur ducentæ Missæ cum elemosyna. Missam cantabit prior Episcoporum Cardinalium, fit sermo de laudibus Pontificis, & in fine fiunt absolutiones, ut in exequijs Cardinalium scriptum est. Accenduntur eodem die intorticia multa circum circa in Ecclesia, & candelæ supra castrum doloris, & idem fit in die nono. Missam tunc cantat Subprior Episcoporum Cardinalium. Intra nove nam

colobi



nam quotidie aliquis Cardinalium celebrat, incipiendo à Senioribus post Subpriorē Episcoporum, & leguntur centum Missæ.

Idem liber Ceremoniarum l. 2. c. 34. fol. 117. assertit, hodie esse abolitum pro defunctis Papis & Cardinalibus orare.

Chiliaistarum errorem Serenissimus Rex improbavit cum S. Hieronymo in Esa. c. 65. lib. 18. p. 214. Apocalypsin Ioannis, si juxta literam accipimus, iudaizandum est: si spiritualiter, ut scripta est, differimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire: Latinorum Tertulliani, Lactantij: Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantum Lugdunensis Episcopi, faciam mentionem, adversum quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex, elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam interris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium servitutem: rursusque bella, exercitus ac triumphos, & superatorum neces, mortemque centenarij peccatoris.

In cap. 14. Zachariæ p. 270. Extructionem urbis Hierusalem & aquarum egressum de medio eius, quæ ad utrumq; defluant mare, Iudæi & Christiani Iudicantes, ultimo sibi tempore repromittunt, quando rursus exercenda circumcisione sit, & immolandæ victimæ, & omnia Legis præcepta servanda; ut non Iudæi Christiani, sed Christiani Iudæi fiant.

Hieron.  
Tom. 4.

Tom. 5;

## XVIII.

Decimi octavi Articuli Veritatem è Fulgentio de promisit de incarnat. c. 19. p. 410. Ex quo primus homo naturam suam voluntariè vitiavit, atque oppressit infirmitas, nisi divinæ gratiæ medicamento præventum in unoquoque homine sanetur atque adjuvetur liberum indesinenter arbitrium, est quidem liberum, non tamen bonum, est liberum, non tamen rectum, est liberum, non tamen sanum, est liberum, non tamen justum.

Ex Arnobio in confictu Serapionis p. 563. Liberum arbitrium & defendo & teneo sed intra metas suas clausum, & finibus suis limitibusque distinctum. Et: Hoc quod illum à peccato facere liberum potuit, in primi hominis prævaricatione PERIIT, unde creaturam suam creator ad hanc recuperationem prævenire potuit, ut quia jam suis viribus liberari à peccato non poterat, DEI gratia liberaretur. Vnde etiam infirmitates nostræ Salvatoris Domini nomen impo- fuerunt: captivitas nostra, Redemptorem: miseria nostræ, misericordem: servitus Liberatorem.

Cum S. Augustino, contra duas epistolas Pelagianorum lib. I. c. 3. p. 586. Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia LIBERATA non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui maximum non potest velle, hoc est gratia DEI, per IESVM Christum Dominum nostrum.

Cum Fulgentio de Incarnat. c. 18. p. 409. Cum ergo Paulus esset blasphemus & persecutor, & contumeliosus, non ideo est adjutus DEI gratia, quia crede-

Tom. 7.

re vo-



revoluit, sed, ut credere vellet, donum gratiæ prævenientis accepit, quæ in eius voluntate non aliquod credulitatis initium, sed blasphemiam, sævitiam, contumelias & ignorantiam in incredulitate reperit.

DEV M non esse causam peccati, è Philone didicit, scribente de confusione linguarum p. 245. Quoniam multi volentes evadere propria crimina, & debit is pœnis eripi, facinus referunt in DEV M, nullius mali autorem, sed bonorum omnium. De Profugis p. 325. Est nævus insanabilis, autorem malorum Deum dicere: Et quod potest esse convitium gravius, quam contendere, non ex nobis mala provenire, sed ex DEO!

XIX.

De bonis operibus cum S. Augustino sensit Tomo X. de verbis Domini secundum Matth. serm. 12. pag. 37. prius est mutandus homo, ut opera mutentur. Si enim manet homo in eo, quod malum est, bona opera habere non potest. Si manet in eo, quod bonus est, mala opera haber non potest.

XX.

Tom. 4. ad Simplicianum l. i. quæst. 2. p. 444. Et multis locis hoc sâpe testatur Fides, gratiam preponens operibus, non ut opera EXTINGVAT, sed ut ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia.

Non præcedunt fidem (opera), quæ sequuntur fidem, ut loquitur Cyrillus Alexandrinus in Sophoniæ p. 1272.

Deniq; Serenissimus Rex è vigesimo primo Articulo & ultimo Augustanæ Confessionis, cum Cyrillo Alexandrino in Julianum p. 140. controversiam decidit. E 3

XXI.

S. Brigit. l. 7.  
c. 31. p. 675.  
Papa recipit  
dubia pro  
certis, inquit  
Christus.

gentio  
primus  
ue op-  
mento  
que ad-  
uidem  
tamen  
perum,  
Libe-  
metas  
nctum-  
tuit, in  
creatua-  
xveni-  
peccato  
lam in-  
impo-  
niseria  
as Pelat-  
quæ li-  
bera in  
potest  
juima-  
ESVM  
  
o. Cum  
contu-  
crede-  
re vo-



XVII  
XIX  
dit scribente, Sanctos Martyres neque DEOS esse dicimus, neque adorare consuevimus: laudamus autem eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt, & fidei sinceritatem servarunt, ita ut & suam animam contempserint, & mortis terroribus valedicentes prevaluerint in summis periculis, tantaque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suae vitae excitaturi.

Itaque non est indignum, immo etiam necessarium eos, qui tam claris operibus gloriofi sunt, perpetuis honorari laudibus.

XX  
Proinde etiam Serenissimus Rex in acie Lizensi, pro Germaniae libertate fortiter pugnando, animam suam, non in manus B. Virginis Redemptricis, more psalterij a Bonaventura facti & facti, sed in manus Christi Redemptoris unicè commendavit.

[S. Brigit. l. 1. c. 35. p. 56. sicut Adam & Eva viderunt mundum pro uno pomo: sic Filius meus & EGO REDEMIMVS mundum quasi cum uno corde.]

Si ad DEVVM promerendum suffragatore non opus est, sed mente devota, ut loquitur B. Ambrosius tom. 3. in c. 1. ad Rom. p. 244. cur Idololatræ Romani S. Franciscum ita alloquuntur?

Francisce, IESV TYPICE, dux formaq; Minorum,  
Per te Christi mirifice sunt gesta & donorum,  
Mala, Pater egregie, propelle animorum,  
Sedes nobis perpetuas DA REGNI COELORVM.

Habemus itaque Regem Serenissimum Catholicum, Augustanæ Confessioni primæ addictum.

Quæ porro oratio par esse potest amplitudini liberalitatis eius in erogandis eleemosynis egentibus cuius-

cuiuscunq; sexus & ordinis, & pr̄sertim Ecclesiastici,  
 in quibus explendis expensas sumtusq; supra fidem  
 maiores ob opportunitatem terræ commeatibus ex-  
 terarum nationum faciebat? Quid? reliqua omnis eius  
 vita legibus divinis & Ecclesiasticis mirificè consona,  
 animus purus, justi rectique tenax, & lingua ab omni  
 maledicentia & petulantia dicto, nedum perjurio libe-  
 ra, an non satis testantur, pium Regem ita quidem co-  
 gitare loquutum esse & egisse cum DEO, ac si omnes  
 mortales testes adessent: cum hominibus autem ita  
 vixisse, ac si pr̄sentem semper haberet D E V M,  
 omninoque sese gessisse ceu legitimum summi numi-  
 nis mysteriū, atque animam, ceu templum sanctum  
 quoddam, & affectiones, ceu pias oblationes eidem  
 semper consecrasse: Unicus DEI cultus est, non esse  
 malum.

Denique (quo ad in se fuit) Sanctitatem coluisse,  
 quæ est affectio sancta in sancto proposito constans,  
 ac firma, quod propositum duplex est, odium san-  
 ctum mali, & amor sanctus boni, ex quibus malum  
 quidem nihil est nisi peccatum, & eius occasio: ho-  
 num autem nihil est, nisi DEVS, & eius imitatio, cuius  
 imitationis compendium, velle, quod DEVS vult,  
 nolle, quod non vult.

An igitur summum illum Cœli regnatum,,  
 eum Regem deseruisse, aut cœlo exclusum voluisse  
 putamus, quem obsequentem suo Imperio, quoad  
 vixit semper habuisset, quemque tot labores genero-  
 fissimè fortissimeque suscepisse pro libertate Evange-  
 lica, Germanica tuenda, & amplificanda DEI gloria,  
 & sui

AK 9 e 4276

Tacit. l. 4.

Liv. l. 5.

& sui nominis cultu, usque ad sanguinem vidisset? Di<sup>j</sup>  
fortioribus adsunt, omnia prospera eveniunt colenti-  
bus DEOS. Annon summum illum hominum judi-  
cem & arbitrum pro sua clementia & misericordia  
summa Regis eius ad suum tribunal sistentis misertum  
esse, nec summo cum eo jure egisse speramus, quem  
fide in Christum directa, semper lenem, semper cle-  
mentem, semper benignum cognovisset?

Quid moramur, pijs Optimi Regis manibus vo-  
ta nuncupare, & tanquam DEV M Indigetem salutare,  
æternaque gloria & honore decorare?

Gaudia blanda valete, venite, venite dolores,

Irriget, omnigenas lachryma multa genas.

In falsas mihi lumen utrumque resolvere guttas,

Corque columbino more gemisce meum.

Occubuit Lyzæ, quo vivo vivida virtus,

Quo moriente simul mortua visa fuit:

Et Regum cynosura, magis Mars Marte vel ipso,

Clara cerebrigenæ in palmitæ gemma Deæ.

Musarum fotor, charitum quoq; fautor & au<sup>r</sup>tor,

Mortem Mars, Pallas, gratia, Musa dole.

### Errata.

Fol. 9. linea 22. lege excuso. 22. 24. Verbo. 23, 25.

imposturas. 25, 14. Petrus.

F I N I S.



ULB Halle  
004 821 262



3

VOL 17





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-28536-p0044-9

DFG


h374.

SE

G

AV

EL



LICENSED PRODUCT

**Kodak**

LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

## KODAK Color Control Patches

LICENCED PRODUCT

VS RE

, &c.

OLPHVS,  
CVS,

rsaria, habita

CORVM, IN  
AMPLISS.

O, AVGV-  
SORE ET  
RIO.

XXIV.

LICORVM

ctorius

atum contriti

V.

